

5.
AUS. ALT.

DISPUTATIO HISTORICO-POLITICA,

PRÆSENTIAM

REGIS

IN BELLO,

NUNQUAM NON AUSPICATO FELICISSIMAM,
Breviter adumbrans.

Quam

Suffragante Ampl. FACULT. PHILOSOPH.

In Aboënsi Illustri Atheneo,

PRÆSIDE

UIRO CELEBERRIMO,

DN. JOHAN. Munster/

Philos. Pract. & Hist. PROF. Ord.

*Placide Candidæq; Opponentium disquisitioni
ad ingenii exercitium modeste submitte*

ERICUS WESTADIUS,

Sveco-Helsingus.

In Auditorio Maximo,

ad d. 3 Junii A. MDCCV. hor. ante mer. sol.

EXC. JO. WAL.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Maximæ Fidei VIRO,

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO,

DN. JOHANNI

GEZELIO,

S.S. Theologiæ DOCTORI

Excellentissimo,

Dicæcesis Aboënsis EPISCOPO

Eminentissimo,

REGIÆ quæ ibi est Academiæ

PRO - CANCELLARIO Magnifi-

centissimo,

Consistorii Ecclesiast. PRÆSIDI

Gravissimo,

MÆCENATI SUMMO.

QVÆVIS FAUSTA FELICIA QVÆ!

REVERENDISSIME PATER,

Anxia diu mecum deliberatione agitavi, REVERENDISSIME PATER, num citra audaciæ notam, rudis hujus qualiscunque laboris impolitiem, levitatemque ac Tuorum oculorum aciem quæ subeat, indignam, REVER: PAT: TUÆ Nomine exornare auderem. Et sanè, nisi alia heic me commoverent, animumq; adderent, parum abesset, quin ab isthoc ausu me cohiberem. Verum enim verò, quum me, propria experienciâ edoctum, haud lateat, insignis TUA REVER: PAT: erga omnes Musarum cultores humanitas, & nunquam satis deprædicandus, erga studia humaniora, favor, quem, quotiescunque aliqua sese offert occasio, ostendere

dere dignaris, vicit dubitationem me-
am benevolentia Tua, pudoremque
Nominis TUI veneratio. Quare animus
in æquilibrio diutius pendere, absque
certa fortunæ meæ injuria, non susti-
nuit, quin hocce chartaceum mumus-
culum, cum mihi in hac Palladis officina
publica, exercitium aliquod in lu-
cem edendum foret, REVER: PA-
TERNITATI TUÆ, me de meliori
nota commendationis, studiorum meo-
rum quaecunque testimonium, sub-
missæque pro beneficiis REVER: PA-
TRIS innumeris observantiæ tesseram,
consecrarem. Excipe proinde sereno
vultu, quicquid hic ante pedes Tuos hu-
militer deponitur, & non tam ipsius pi-
gnoris exiguitatem, quam animum of-
ferentis gratissimum, intuere. Quod so-
lum, si obtinero, abundè fœtui meo
providisse arbitror. De cætero, D. O. M.
toto nunc pectore supplex veneror, ve-
lit TE REVER: PATER in eminenti-
ssimo gradu locatum, ac eruditione
exquisite pollentem, meritorum
nu-

numero ornatum sacrorum Antistitem;
superstitem & sospitem in seros usque
annos conservare, in subsidium Clemen-
tissimi REGIS in bello præsentis, eccle-
siæ afflictæ solamen, ejusque ædifica-
tionem, Patriæ emolumentum ac decus
ingens, Tuum Tuorumque ac nostrum
omnium, quibus omnibus natus es,
præsidium certissimum: Quo annorum
gloriæque satur, in sanctissimam cæli-
tum cohortem, beatissimam Paradi-
siacam sedem adsciscaris. Sic pleno o-
re, atque ex intimis cordis recessibus
voveo, qui sum, eroque dum vivam

REVERENDISSIMI PATRIS

Clientis devotissimus

E. WESTADIUS,

*Admodum Reverendis,
Perquam Reverendis*

DN. MATTHIÆ BERG/

Pastori in Jumala meritissimo; districtus Alandensis Præposito gravissimo, Consanguinitate & benevolentia devinctissimo.

DN. M. DANIELI HAGERT,

Præposito & Pastori in Jinström accuratissimo, fidelissimoque.

DN. SALOMONI ALANO,

Pastori cœtus sacri, qui DEO in Sund colligitur, meritissimo, laboriosissimoque.

DN. MICHAELI JERF,

Civitatis Hudickwaldensis Sacellano bene merito ac laudatissimo.

PATRONIS, PROMOTORI
ut Beni

Ita pia devotaque men
SALUTEM TEMPO

RIS

ES *Clarissimis,*

ES *Doctissimis*

DN. M. ANDREÆ BERGIO,

Præposito & Pastori in Rössala
celebri & dignissimo.

DN. O L A O K A N I C K,

Pastori Ecclesiæ DEI in Rogsta vigi-
lantissimo & attentissimo.

DN. E L I Æ W I X N E R,

Pastori Ecclesiarum DEO in Forsa
collectarum meritissimo atque vigi-
lantissimo.

DN. N I C O L A O W A L L E N I O,

Sacellano in Udner fidelissimo, &
Hudicks: Sch. Triv. Collegæ diligens-
tissimo, Patri meo optimo.

BUS & FAUTORIBUS,

gnissimis,

te perpetim colendis.

RALEMUS ÆTERNAM!

Beneficiorum Vestrorum abunde semper in
me collatorum, Patroni & Evergetæ
indulgentissimi, memor, justum aliquod
compensationis pignus offerrem, debita grati
indicia animi ostensurus; At quia viribus
destitutus, propositum meum effectui dare
nequeo, non aliter ac apes aviculaque, cum
nihil possent amplum atque opulentum, ceras
tamen ac plumas ad Magnificentissimi Appol-
linis Delphici templum detulisse dicuntur; sic
& ego immaturas hasce studiorum meorum
primitias, restandi animi gratissimi causâ,
ad aram favoris vestri submitte & officiosè
depono. Accipite ergo serena fronte, levidense
hoc munus, Patroni ac Promotores certis-
simi, meritis quidem vestris licet indignum,
grate tamen memoria documentum. Interea,
Summum Numen nunquam non precibus de-
fatigabo calidissimis, velit Arbiter ille omni-
um rerum, Vos Promotores, Patroni &
Benefactores optimi, semper incolumes sus-
sistere, & etatem vestram in Nestoris pro-
longare annos, in precipuum Ecclesia emolu-
mentū, familiarum fulcrum, vestrorumq; omni-
um pròlixum gaudium, quod ex animo vovet,
Observantissimus atq; addictissimus cultor,

E. W.



JESU FORTUNANTE!

THES. I.



apud illos, qui aliquam materiam, in qua ingenii vires periclitari cupiunt, tractandam sumunt, laudabilis ille mos invaluit, in ipsis statim dissertationum liminibus proponere ea, quæ terminorum enodationem attinent, ut iis probè intellectis, facilius in rei, de qua agi cœptum est, explanationem, descensus fieri queat; idcirco à me exigi jure posset iusta vocum, quas hujus dissertationis titulus præfert, explicatio. Verum, eum is præsens rerum mearum sit habitus, ut me in toto hoc argumento, plus quam brevem fore oporteat, nemo mihi spero, vitio vertet, si in notis, nec ab usu communi alienis ea, quæ penitiorum τῶν ὀνομάτων ἰστορικῶν con-

A

cer-

cernunt, omisero : præsertim cum vocabula, *de Præsentia Regum in bello*, tituli loco huic dissertationi præscripta, usitata multum sint & propria, sensusque genuinus prorsus & perspicuus, operosam ergo hic Etymologiam, Synonomiam pariter ac Homonomiam consulto præterimus. Sufficit proinde adnotasse, cum Regem dicimus, nos non intelligere illud vocabulum generaliter, pro omnibus in universon, qui alios bene regunt, vel qui ordinati sunt ad bene regendum subditos : sed strictè pro Regia Majestate, seu personâ summo imperio polente.

THES. II.

Bellum (quod Festus à belluis, Priscianus per antiphrasin à bono, quasi minime bonum, ut bellum sed plenum acerbitate, Grotius à duello, deduci volunt) dari, de eo minus necessariam fore disputationem, autumo, cum & prisca ætas, & quotidiana (proh dolor) experientia satis, superque ostendat, univ-

versam propè Europam, & in ea Patriam nostram SVECIAM, nunc maximè externis insultibus obnoxiam, jactatam, atque fluctibus armorum immerfam; nihil denique nunc temporis circa nos nisi bella & turbæ sentiantur.

THES. III.

Bellum justis de causis susceptum, licitum esse, dubitandum non est, licet Julianus Imperator arbitratus sit Christianis omnino vetitum esse bellum; cui sententiæ amplius (α) Erasmus Roterodamus aliq̄ nonnulli adstipulati sunt: reclamantibus prorsus divinarum literarum, sanctorumque Patrum testimoniis. Divinis literis quidem: Nam constat D. O. M. qui nihil mali, teste S. Augustino, imperare potest, bella commendasse, imo imperasse, idq̄ in Numeris (β) & libro Samuelis (γ). Secundò, legimus etiam DEUM opitulatum ivisse præliantibus.

A 2

tibus.

(α) *Erasm. in Annot. ad Luc. 3. § 22.*

(β) *Num. 25. 17. (γ) 1. Sam. 15. v. 3.*

tibus. Nam in Exodo (α) aliisque locis, scripturæ dicta approbantia reperiuntur. Uterius ex Novo Test. innotescit bellum licitum esse. Christus enim apud (β) Matthæum laudavit fidem centurionis, *non illi militia desertionem imperavit*, ait Augustinus. Sic quoque Apostolus Paulus testatur (γ). Patres veteres denique bellum licitum esse minime inficias ivisse reperimus. Lactantius, (δ) *bella, inquit, reprehenduntur, sed que contra justitiam nata sunt*. Gregorius Nazianzenus (ε) *melius, inquit, & optabilius est egregium bellum pace impia, & à Deo distrahente; ob eamque causam, dementem hominem ad pugnam armat spiritus, ut belligerandi facultate instructum*.

THES. IV.

Hisce ita præmissis, sequerentur merito quidem ceteræ belli qualitates, nimirum, de justo bello, de ejusdem cau-

(α) Exod. 17. 11. Deut. 1. 21. Deut. 32. 30. Psalm 17. 35. (β) Matth. 8. 10. (γ) Hebr. 11. 33. (δ) lib. 6. c. 19. (ε) Orat. tertiâ.

causis, quas (α) Aristoteles recenset, de eodem suscipiendo, indicendo, & quæ sunt ejusmodi, sed cum brevitatis, cui litare studeo, hoc non patiat, nec materia, quam qualicumque modo enucleandam destinavi, permittat, ideoque ad ipsam rem, crassam ingenii Minervam ac immaturam haud invitus agnoscens κατὰ τὸ δυνατὸν perlustrandam, mox propius accedo.

THES. V.

Universa ergo reipl. administrandæ ratio intra duo temporum intervalla peragitur, nimirum pacis & belli. Theon sophista (β) δὲ, αἶτι καὶροὶ πάντα δικυλῶσι, τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, λέγω δὲ πόλεμον καὶ εἰρήνην h. e. duo tempora continent omnia hominum negotia, dico sanè bellum & pacem. Proptereaque Reges ea, quæ bello conducunt & militiâ, probè sibi cognita habere cupiunt. Antiquis enim temporibus necessum erat, ut du-

A 3

ces

(α) Rhet. ad Alexand. cap. 2 & 37. 1. Pol. cap. 5. (β) in suis progynas.

ces exercituum, ab regentibus in civitate & pace distincti essent, à Magistratu videlicet, & belli causa constituerentur rei militaris periti Imperatores, qui bello finito imperatoriam potestatem deponerent. Ast hodiè, ut omnia & singula Majestatis jura, sic quoque cura utraque belli & pacis Regi adhæret. Unde Virg.

*Tu regere imperio populos Romane memento,
 He tibi erunt artes, pacique imponere morem,
 Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Necessitatem autem conjungendarum harum duarum potestatum, legum & armorum tradit Justinianus (a); alias enim contentiones orirentur infinitæ inter principes, si uni civilis, alteri armata esset potestas. Quod & aliquando docuit exitus Rerumpubl. apud quasdam gentes, quæ ab iis, quos duces bello præfecerant, tandem oppressæ sunt, quod Romæ à suis Dictatoribus evenit.

THES.

(a) in Novell. 26.

THES. VI.

Porro, cum uti dictum modo est; utrumque belli & pacis Regi subiectum sit negotium, quæstio denique nobis ventilanda venit, *Num Regem ipsum tempore belli prælio interesse conducat?* non desunt statuentes Reipl. magis conducere absentiam Regis, necum ejus interitu actum sit de ipsa republica, & ut dubiis præliorum exemptus, summæ rerum & imperii se ipsum reservet, dicente Tacito: (a) *In milite enim unius fors est; in Imperatore universorum periculum*, inquit (β) *Egisippus*. Hanc ob causam Persarum Reges pugnae se non miscebant, ut innuit Ammianus Marcel. (γ) ubi de expugnatione civitatis agit. *Mortuo Rege vel principe fieri non potest, ut mutatio quedam aut innovatio non sequatur*. Nam mores generis humani admodum dissimiles sunt: Ubi novus Rex seu princeps est, nova quædam lex suboritur: & abrogatis prioribus

(a) lib. 2. Hist. (β) lib. 5. c. 30. (γ) lib. 9.

bus, ut constat ex principatibus electione transferendis, in quibus adhuc major jactura imminet, ex interregni & electionis controversiis, unde cautius imperantes vitare videntur, ne se præliis, seculi præcipuè hujus, ubi non tam manu forti, quam fortuna pugnantur, immisceant, ne ab ignivomis machinis, quibus gratis strenuissimus interimi potest Dux & miles. Nec est alterum minus periculum, ne captivus inter hostium catervas abducatur Rex: Quamobrem regni facultates pro ejus solutione exhauriantur oporteat, ut in Gallia (a), aliisque regnis accidisse constat. Memoriae proditur à Gvagvino (β) Magnum Ducem Moschoviæ, anno Domini nostri Salvatoris 1381, Livonensium castrum Neuhuis in provincia Derptensi, cum 300000 militum armatorum acerrimè oppugnantem, à Duce castri per fenestram intra medium exercitum Moschoviticum sagittâ transfixum

(a) *Tholosan. lib. II. cap. 4.* (β) *in descript. Livon.*

fixum fuisse, eoque extincto in fugam tantam multitudinem hostium se coniecisse. Et hinc de causis satius existimant multi, à præliando Regem abstinere, quò aliis & majoribus ejus Majestas reservetur necessitatibus. Argumentum præterea sumunt à Propheta & Rege Davide, in prælium adversus Absolonem filium suum, qui regnum affectarat, volente cum populo exire.

(a) *Respondit populus, non exhibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos pertinebit de nobis: sive media pars ceciderit à nobis, non satis curabunt: Quia tu unus solus pro decem millibus computaris. Melius est igitur, ut sis nobis in urbe presidio. Ad quos Rex ait, quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo Rex juxta portam, egrediebaturque populus per turmas suas. Alii autem prudentissimi viri, præsentiam Regis in prælio plus expedire reipi: adfirmant; potissimum cum ibi de universo principatu contenditur. Ita Curtius (β) Illud scire debetis, militarem sine Duce turbam*

B.

cor-

(a) 2. Reg. 18. 3. 4. (β) Lib. 10. cap. 6.

corpus esse sine spiritu. Tum enim omnes res, quæ ad bella, & ad imperandum necessariæ sunt, facilius geri possunt. Et si imprudenter cum exercitu agatur, habet quo tuto in securiora iterum se recipere possit. Atque si statui regni, aut saluti provinciarum naufragium imminet, Præsentia summi Imperantis summoperè desideratur. (a) *Minora autem bella poterunt minoribus delegari; ea tamen conditione, ut uni summa seu potior exercitus potestas concedatur, cui cæteri obtemperare debeant, nempe ei, qui peritior existimatus fuerit.* Alias, dicente Thucydide: (β) certissimum est multitudinem imperantium plurimum nocere, & regimen esse nullum aut incertum. Ad occasiones item excusationis in delictis radicatus, aliud quasi agendo. convellendum, longè utilissimum videtur posteriorem & præcipuum illum morem tueri, quo Reges in-

(a) *Cornel. Tac. lib. 4. Hist. & lib. 3. annal.*

(β) *lib. 6.*

teresse prælio volunt, ut contumax miles, imperatis neglectis acerrimè puniatur. Theopompus Lacedæmoniorum Rex (a) assentiendi cuidam propterea Spartam salvam esse & incolumen, quod regibus uteretur imperandi peritis, respondit, *imò, inquit, & civibus populoque Regibus obsequente.* Scipio major, à militibus Imperatorem potius quam hostem metui debere, indicat, cum sciscitanti, quare fretus classem educi curaret in Africam, ostendit viros armatos sese exercentes & turrim excelsum mari imminentem, dixitque, quia (β) *nullus eorum est, qui non conscensa turri semet in mare precipitaturus sit, si jussero.* Mirum hinc certè non est, quantum in bello valeat Regiæ Majestatis authoritas, cum ipse Deus Regibus regna, & regnandi det potestatem, ipse proximum à suo fastigio gradum regibus tribuat, ipse Deos nominet; ipse peculiari illos sanctitate circumdet, ne

B₂

vio.

(a) *Plut. in Folit.* (β) *Val. Max.*

violentur. Imò ipse Regi peculiaris suæ providentiæ cura præstat, ne pericula imminencia ei noceant.

THES. VII.

Hæc neganda minimè esse arbitramur, nec obiter prætereunda illorum insinuatio, qui secretius quoddam Dei cum Regibus commercium esse censent. Homerus vocat Regem Διὸς μεγάλα ὀαρεσίην h. e. *magni Jovis familiarum*: sive συνασιασὴν ἐν λόγοις, quem Jupiter colloquio & contubernio dignatur. Sanè eatenus Regibus quiddam cum Deo arcani & commercii est, quatenus nimirum, tum disciplina Regia divina est, & ad voluntatem DEI exigenda, & consilia cogitationesque Regiæ à DEO subministrantur nec non diriguntur. Et hæc non tantum in specie, ut de Salomone & Davide, aliisque quibus DEUS se immediate inspiravit, videre est; sed etiam in genere (a) *cor Regis DEUS in sua tenet manu*, id quod de divina quadã manu ductione *Ἰεὺα χειραγωγία* quoque Basilius accepit.

(a) *Prov. 21.*

THES. VIII.

PRæter arcanum illud DEI cum Regibus commercium, etiam providentiam divinam & curam pro Regibus specialem excubare insinuant nonnulli, qui, quantum Divinitatis in Regibus sit, animadverterant, Nullus nescit illud Theocriti (a)

-- -- -- Δεὶ χροῖωνι μέλειαι
 λιδοῖσι βασιλῆῳ.

Cura summo est venerandi maxima Regis.

Et Themistius (β) ὅτι πανταχῶς τοῖς ἔργοις τῆ βασιλείας τῆ σύμβολα ἰπικεῖται ἐκφανῆ τῆς ἐκ τῆ ἑρανεῦ προμηθεύς. Quod nimirum cælestis providentia manifesta ubiq̃ in Imperatoris actionibus signa appareant. Vel ut alibi disertè pronuntiat, ὅτι καὶ θεοφιλεῖς ἀναγκάσιον εἶναι τῆς βασιλείας ἀμα τῆ πρώτῃ γενέσει, quod necesse sit caros esse Deo Reges à primis cunabulis, ut exemplis infra comprobabimus. Ut autem cura Divini numinis circa Reges, ad cæteras Regias actiones, ad pericula insuper

B3 averu

(a) Eidyll. 17. (β) Orat. ad Constant.

avertenda præcipuè pertinet. Quare cum majoribus Osiridis auspiciis hoc Synefius conjungit (a) ὡς κρείττων ἀποδειχθῆναι τῷ θεῷ ἀνθρώπων τὸ πάχειν, quod præstantiorem eum ac majorem Dii fecerint, quam qui ab hominibus violari posset. E. Christianis scriptoribus huic annuit sententiæ Nicetas Choniates, cum de Manuele Imperat: ex ipsis pernicipiei faucibus erepto, sic narrat: (b) καὶ ἔτω θεῷ δόξαν τὰς τῶν βαρβάρων διέδρα λαβὰς ὑπὸ θεῶν φεραθεῖς, τῷ καὶ ὑπὲρ κεφαλὴν πάλαι δαδὶδ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου Ἰπποκιάσου, ὡς αὐτὸς φησὶν ὁ φιλόψαλμος, atque ita præter opinionem, barbarorum manus effugit, custoditus à Deo, qui et olim in die belli, Davidis caput protexit, sicut ipse in Psalmis suis testatur. Ex recentioribus Alphonsi Regis dictum laudatur: Regum animas non privatorum lubricini subjectas, sed sub Dei cura et tutela sacras letasque agere. Quibus satis nunc constare opinor, quantam Deus curam agit Regum; unde auspiciam Regium quod multum in bel-

(a) Lib. 2. de provid. (b) Lib. 6. an. Imp. Max.

bello valet, non parum illustratur. Ita Claudianus canit.

- - - - - *Victoria felix,*
Auspiciis effecta tuis; pugnavisti uterque;
Tu fatis, genitorque manu.

Ac ad Maximilianum Mamertinus, (a) *vestra, inquit, fortune, vestra felicitatis est, Imperator, quod jam milites vestri ad Oceanum pervenere victoria.*

THES. IX.

Præsentiam Regis in bello summum adferre momentum ulterius demonstraturo, operæ pretium videtur, aliquid de efficacia ejusdem, plurimum ibidem efficiente, notasse. Adscribit Curtius aliquando Alexandro Magno singularem (β) *in rebus moliendis efficiendisque velocitatem.* Fortes namque ejus fuerant manus, quas ut in Davide (γ) *Deus peculiariter pugnare docuit.* Sic efficax est Regis negotium, Deo præcedente, ejus victoria, Deo pro illo dimicante, hostibus terrorem injiciente, portas

(a) *in Paneg.* (β) *Lib. 5. c. 7.* (γ) *Pf. 17. 35.*

tas urbium aperiente, turrets proster-
 nente. Ita Deus ipse apud Prophetam
 (a) Christo suo Cyro dicit, *cujus apprehendi
 manum dexteram, ut subjiciam ante faciem
 ejus gentes, & dorsa Regum vertam, & ape-
 riam coram eo januas, & porte non clauden-
 tur. Ego anteibo, & gloriosos terra humiliabo.
 Portas areas conteram, & vinctes ferreos con-
 fringam, etc.* Hinc significatur, unde effi-
 cacia in agendo Imperantium, proma-
 nat. Inde patet (β) *haec auspicii Imperatoris
 ἐνεργεια, quia Praesentia Regis animos aspectus
 recreat, opus auctoritate promovet, urgetque,*
 affirmante Boeclero. Consideranda fuit
 Memnonis excellentis Persarum Ducis,
 apud Arrianum, ratio, dehortantis prae-
 lium cum Alexandro Asiam ingresso;
 (γ) *Quia Darii absentia Persas timidiore,*
*Alexandri praesentia Macedones praestitura esset
 fortiores.* Non tamen imprudenter prae-
 tereunda est mentio (δ) *divinae cujusdam
 gratiae, quae Regias actiones comitatur, &
 decoris cujusdam singularis venustate com-*
 men-

(a) Esai. 45.1. (β) de ausp. Reg. (γ) lib.1.

(δ) Boecl. de ausp.

mendat, ut ait Boeclerus. Adeoque verum est, nullam obtineri victoriam absque gratia Dei. (α) Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit. Hæc autem gratia non tollit efficaciam auspicii Regis, cum munus ejus semper divinum sit, neque Regis cum regnat, alia est, quam divina occupatio.

THES. X.

Adjungam nunc exempla nonnulla, verè indicatura Præsentiam Regis optandam esse in bello, quæque ejus fortunæ, sanctitatis & efficaciam documenta, auspiciumque Regium apertè demonstrabunt. Præsentia certè Principis Hectoris, Trojanorum fortissimi, multum profuit militibus: Nam suo adventu terga vertentes ad bellum contra Græcos incendit. Sylla Dictator, ut testatur Dictys Cretensis (β) cum contra Archilaum Mithridatis ducem prælio fatigaretur ardenti, ab universis copiis relictus in ordinem provolat, raptoque

(α) *Prov. 21. 31* (β) *lib. 3. bell. de Trojan.*

que & coniecto vexillo in hostilem partem, dixit: *Socii periculorum electi, sciscitantibus, ubi relictus sum imperator, respondeze, nihil fallentes, solus est in Boëmia pro omnibus nobis, cum dispendio sanguinis sui decernens*; itaque animum militibus suis addidit sua constantia, & optimè confirmavit. Duces Israelitarum & Reges, ipsi primi ducebant acies, & manu sua dimicabant ut (α) Josua (β) Jonathan, (γ) David, (δ) Josaphat, (ε) Ezechias & cæteri. Alexandri Magni præsentia tantum effecit, ut unusquisque pugnantium ante oculos ejus æmularetur, quis nam illorum strenuiores, magisque egregia facta, ad gratiam sibi conciliandam & præmia adipiscenda, esset cumulaturus. Stimulabat sic Rex præsens imbelles ad arma, pavidis animum addit, audacesque facit, vel exemplo, vel metu incutiendo, ne proditionis suspicione, ad

(α) *Jos. 3. 3. 5.* (β) *1. Sam. 14. 12. 13. 14.*

(γ) *1. Sam. 17. 32. cap. 23. 5.* (δ) *2. Reg. 3. 7.*

(ε) *2. Reg. 18. 8.*

ad ejus mandatum, qui absolutam & vitæ & necis in eos habet potestatem supplicio afficiantur. De Alexandro proporo & Dario Curtius scribit. (a) *Alexander non ducis magis, quam militis munera exsequebatur; opimum decus caso Rege expetens: quippe Darius adversarius curru sublimis eminebat, & suis ad se tuendum, & hostibus ad incessendum, ingens incitamentum.* (b) Plutarchus de Antigono, ait: pugnaturus adversus Ptolemæi milites, gubernator admonuit, plures esse naves hostium: Pro quot, inquit, navibus supputas, qui hic præsto sum. Sentiens ad victoriam plurimum habere momenti, si strenuus Imperator præsens regat exercitum. Ptolemæus autem tum suis non aderat. Epaminondas apud (c) Stobæum, conspecto magno exercitu, qui bono & prudente Imperatore carebat: *Quanta bellua, dixit, absque capite.* Plautus in Amphitryone, inquit, *ubi summus Imperator non adest ad exercitum, citius quod*

C 2

non

(a) lib. 3. cap. 11. (b) in Reg. & Imp. Ap.

(c) Serm. 52.

non factō est usus, sit, quam quod factō est opus. Post mortem Philippi Argei Regis Macedoniae, succedente in regnum Aëropo, filio admodum parvo, ab Illyriis infantiam Regis contemnentibus, Macedones prælio sunt pulsi, qui, (utar Justinī verbis) (a) Rege suo in cunis prolato, & pone aciem posito, acrius certamen repetivere; tanquam idē victi fuissent antea, quod bellantibus sibi Regis sui auspicia defuissent; futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant. Simul & miseratio eos infantis tenebat, quem si victi forent, captivum de Rege facturi videbantur. Conferto itaque prælio, magna eade Illyrios fudere, ostenderuntque hostibus suis, priore bello Regem Macedonibus, non virtutem defuisse. Proficetur merito Justinus, hanc rem aliqua laborasse superstitione, sed venit hæc ex sententia omnium gentium quæ Regibus divinam propè tribuunt Majestatem. Nec profecto verior cujuscumque opinio de hac parta victoria esse potest, utut causas rerum impensius scrutetur quam

(a) lib. 7.

si auspiciis Regis infantis illa adscriba-
 tur, soli Deo hanc militantium virtutem,
 hunc pugnae successum acceptum feren-
 do. Cæterum non imbecillitas infantia,
 sed veneratio Regiæ Majestatis atten-
 denda venit; Quemadmodum Frede-
 gundis, Macedonici exempli imitatrix
 apud (a) Aimonium, suis suggerit
 illustre quoque exemplum: Nam Fran-
 ci, qui pro Clothario alacriter & stre-
 nuè, contra Childebertum duorum reg-
 norum Regem, pugnabant, cum vi-
 derunt Clotharium, adhuc in cunis &
 ab uberibus matris Fredegundis pen-
 dentem, agmen & exercitum præce-
 dere, victores evaserunt. Est enim Rex
 seu Princeps in exercitu, veluti Numen
 quoddam, ex quo milites spiritus ca-
 pere videntur fortes. Nec desunt exem-
 pla Imperatorum Romanorum in bello
 præsentium. Ita apud Suetonium Tranq:
 de Julio Cæsare legimus. (b) *Prælia non
 tantum ex destinato, sed ex occasione sume-
 bat: ac sæpe ab itinere statim, interdum spur-*

C3

cis-

(a) l. 3. c. 82 de gest. Franc. (b) in Vit. Jul. Cas.

sissimis tempestatibus, cum minime quis mor-
 turum existimaret: nec nisi tempore extremo
 ad dimicandum cunctantior factus est. Nul-
 lum unquam hostem fudit, quin castris
 quoque exueret: ita nullum spatium perterri-
 tis dabat. Ancipiti praelio equos dimittebat,
 Et in primis suum, quo major permanendi
 necessitas imponeretur, auxilio fuga erepto.
 Idem de Octavio Augusto Cæsare Ro-
 mano, inquit: (a) Iustusque compara-
 to exercitui pro Praetore praesse, Et cum Hir-
 tio ac Pansa, qui Consulatum acceperant,
 D. Bruto operam ferre, demandatum bellum
 tertio mense confecit duobus praeliis. Priore,
 Antonius eum fugisse scribit, ac sine paluda-
 mento, equoque post biduum demum appa-
 ruisse. Sequenti, satis constat, non modo Ducis
 sed etiam militis functum munere; atque in
 media dimicatione, aquilifero legionis sue
 graviter saucio, aquilam humeris subiisse,
 diuque portasse. Et alibi: Externa bella duo
 per se gessit: Dalmaticum adolescens adhuc; Et
 Antonio devicto, Cantabricum. Domuit autem
 partim ductu, partim auspiciis, Cantabriam,
 Aquil-

(a) in Vit. Oct. August.

Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni etc. Illustrissimum exemplum describit Bonfinius de Emerico Ungariæ Rege, Andréâ fratre injusta corripiente arma, jamque necessitate belli optimo Regi imposita. Emericus, cum mori malebat, quam civili langvine victoriam parare, novum bellandi genus excogitans, insignia Regni pro armis, & auspicii Majestatem pro munimentis eligit. Constitutâ verò utrâque acie, signisque prælii expectatis, prædictus Emericus, abjectâ armaturâ, relictisque satellitibus, coronam, sceptrumque portans, in medium fratris hostis exercitum, incessit, & tali oratione vim hostium coërcuit: (a) *Quis tandem erit ille, nunc agite milites, qui sacrosancto Regum sanguini manum injicere ausit? Quis erit, qui Stephani numine in hanc dignitatem assertum ledere cupiat? Et quando omnis potestas à Deo est, quis est denique qui Regiam Majestatem, vi aliqua fœdare audeat? Quid se ipsi quoque Reges pensitatâ dignitate, Et*

in-

(a) Bonf. Dec. 2. lib. 7.

inditi colere ac revereri cogantur. Non Emericus sum, non privatus homo, sed Divi Stephani vicarius, pronepos & heres, publicam personam gerens; quia non tam vestra suffragia & hereditaria jura, quam Divi, & Sacra hujus coronae numen, me Ungariae Regem praestitere. In quem igitur, miseri, arma sumsisistis? in mense, an divi Stephani successorem, ac Regem vestrum omnium ordinum suffragio optatum? Si in me, quando homo sum, sicarii estis & homicida; Si in Regem, & Stephani successorem, profani parricide estis, omnibus suppliciis & piaculis obnoxii. Non cum mortali vobis res est, miseri, sed cum eo, cui praedivina dignitate supra mortalitatem aliquid accedit. Sub Omnipotentis Dei tutela Reges sunt: quorum lesa Majestas dixit populorum exitio expiari potest. Ego quoque inermis inter infesta arma progredior, quando haec corona data divinitus, ac sceptrum hoc, quod gesto, me inter furentium studia satis tutum efficiunt. Videte quem laeseritis, & ne in caput vestrum ac filiorum, sanctum sanguinem haurire videamini, prospicite & considerate.

THESE. XI.

Vocant exempla hæcce extranea, imò me impellunt, ad domestica & patria recensenda, cum *Præsentia Regum Svecorum in bello*, omni ævo, quasi propria fuerit. Quæ quantæ utilitati ac prærogativæ fuit regno Sveciæ, satis compertum erit ab exemplis sequentibus. Ad antiquiora meritò quidem retrocederem, ast longum foret omnia enumerare; ideoque à Gustavo Primo ordiendum existimo, cujus documenta primum visa sunt in prælio acerrimo, inter Svecos & Danos prope Brennekirkam commisso, ubi Ipse vexillum imperatorium tenuit: Certè virtuti ejus haud parum tributum est, quod plerique Danorum ibi cæsi, reliqui fugati cum Christierno Rege suo Svecia excedere coacti sint. Hic semper strenuus, nec minus promptus, pericula quantacunque contemnens, in prælio ad sacellum S. Olai ad paræciam Balungam pertinens, admissis eqvo in primam provolvit

D

aciem

aciem, consilio cæteris moderaturus, ac virtute militi præiturus, ne inscitiâ illorum victoria pulcherrima, quam suam esse intelligebat, perderetur. (α) Cum plura castra in diversis & longiori intervallo distantibus locis haberet, provisione periculi, consilii copia, cura stipendii, commeatus & summa rerum intentus atque cautus, modo hæc modo illa, castra adibat, & ubique multus aderat: ne quid per ejus absentiam secus ageretur aut deficeret. Ut Loccenius loquitur Idem, ipse Viburgum cum classe haud exigua & copiis accedens, (β) omnia sapienter ordinat, & suâ præsentia animam rebus, spiritum militibus addit. Insignibus quoque militaris prudentiæ monitis suos instruit, ut tutius ab ipso quam hoste discerent, & tanta Authoritate confirmatiores redderentur. Duces & tribunos militum cum consilio rem aggredi monet. CAROLUS IX, (γ) in prelio apud Stonga pontem habito, ipse hostem animosè adoritur, eumque duobus millibus militum

(α) Locc. in Hist. Suec. pag. m, 335.

(β) Sueo-Goth. pag. m. 440 (γ) Idem Hist.

casus, in fugam conjicit. Ea quæ GUSTAVI ADOLPHI ductu ac imperio gesta sunt, hisce pagellis includi non possunt: Sufficit unum vel alterum adnotasse argumentum, Præsentiam ipsius indicaturum, singularemque, circa ejus personam, DEI providentiam repræsentaturum. Ita namq; Loccenius antea citatus de illo : (a) Copias terra marique REX GUSTAVUS ADOLPHUS cum cura delegit, ac per belli peritos sedulo exercuit, suâ præsentia & disciplina ordinavit, armisque & campo, antequam hostem conspicerent, aptos utilesque reddidit. alibi. Quid facultatibus suis hic cives parcerent? Quum Rex ne quidem ipse vite sue pro civibus & patria. Adhuc: Altera expeditione GUSTAVUS in Borussiam reversus, uno die duplici victoria potitus est. Laudabilis & memoriâ digna est responsio Regis ad bellum dissuadentes cum Cæsare, quorum causa dissuasionis, hæc verè præcipua fuit, quod, si in bello forsan occumberet, filiam teneram,

ram, orbam patre, regnum orbum Rege, veluti navim gubernatore destitutam, periculosis rerum tempestatibus, & variis casuum fluctibus objectum iri:

(a) Si DEO sic volente, pro patria ipse moriendum sit, cui spiritum deberet, sibi lubenti fore. Vitam & suarum rerum fatum se Dei arbitrio committere, interim quod sit suum, se eodem ductore strenue acturum. Quod si eidem placeat ipsum hunc evocare, paratum esse supremo Imperatori absque murmure parère. DEO, & post eum regni senatoribus, filie suae, regni que salutem cura fore; illi, quod sic possit & velit, his, quod prae naturalis studium patriae, ex meritis Regis & fide sua sic debeant. Cum jam omnia ad belli expeditionem confecta essent, quamvis Ordines Regni votis & precibus, supplicationibus, ac postremo lacrymis expeterent, Regem Charissimum domi tranquillam degere vitam, summæque rerum se servare. Constitutis duci-

(a) *Loc. Hist. Sued-Gotb. pag. m. 565.*

ducibus prudentibus ac fidis, bellicque peritis bellum administraturis: Tamen civium suorum curâ atque fide laudatâ, & sollicitudine piâ considerata, gravi oratione atque allocutione, proprio ore ostendit, (a) *quantum status publici interesset, ipsius Præsentiâ, summoque imperio bellum administrari.* Nam Rex præsens in rebus arduis, diligentius negotia reipl. veluti sua, quàm absens prospicit, & nemo est, qui detrectare audeat ejus imperium: Cum contra, eo absente, præfecti duces, dum certant inter se, quis alterum jubere possit, in discrimina multa exercitum conjiciant, aliis pugnandum, aliis subsistendum, aliis obtemperandum esse, aliis minimè pertinaciter asserentibus, quod in nostris infelicibus bellis non rarò accidit. Prædictus GUSTAVUS, cum Stetinum tendere festinaret, (b) *ventus quem initio adversum Rex tenuerat, ingresso eo navim, subito secundus, ple-*

D 3

nis

(a) *Locc. Hist. Svec. pag. m. 568.* (b) *Id. pag. 570.*

nis velis ipsum ad urbem duarum horarum spatio provexit. Huc cum venisset, munimentum infectum animadvertens, milites & operas, se absente segniores fuisse dixit, & Centurionem laboris inspectorem haud attentum, in vincula conjici mandat; (a) Rege autem presente efficitur, ut ad munitionem Valli & fossarum magis una dierum hebdomade, quam eodem absente multis ante conficeretur. Imò quanta celeritas & industria Regis hujus fuit, tanta quoque circa illum singularis providentia Divina versata est; Quum enim Rex Stetini quosdam transitus cum suis speculatum ivisset, infidiis Quintini de Ponte optionis aut protribuni, & Monachi Ambergæ nati petebatur, ita ut ipse proditor Quintinus (a) non semel Regi letiferum ictum intentarat, uti postea fassus est, sed quoties in eo erat, ipsi manus & mentem quasi fatali stupore attonitas habuisse dixit. Monachus sub exulis persona libellum manu gestabat

(a) Locc. Hist. Svec. p. m. 571.

bat, ita infectum, ut apperienti venenum adflaret; aut si hoc non succederet, sic à Regem perimere jussus erat. Sed Deus, cui Regis salus cura erat, hæc omnia benignè prohibuit, & in perniciem Regis cogitata, in capita auctorum, merito supplicio affectorum, vertit. Nec à bello abfuit CAROLUS GUSTAVUS, qui Poloniæ (a) copias in duas partes dividens, unà cum Wittenbergio præire jussà, alteram Rex ipse duxit. Advulante in urbem Varsaviam famà de propiore Regis adventu, vel sola formidine vel horrore Regii nominis percita civitas in potestatem Regis se dedidit. Præsertim in prælio Warsaviensi diebus tribus continuato, efficacia Præsentia Regis ejusdem cognita fuit, cum non modo ducis, sed & militis munere, cum usus & necessitas exigerent, fungi sole-ret. Nescii minimè sunt, qui eodem prælio interfuere, in quo ipse alam dexteram tenebat, & strenuè inter primos pugnabat in hostem, suosque per tres dies integros exemplo proprio ad constantiam fiduciamq; animabat. (b) *Ue in*
laccs-

(a) *Id. pag. m. 788.* (b) *Scheff: idem*

*laccessendis pugnae periculis non temerarius, ita
 ad eundis impavidus erat; praesertim se sum-
 ma res ageretur, quaeque praesentiam ejus ex-
 posceret; quae prosperè res semper age-
 bantur.* CAROLUS XI. praëliis Scha-
 nensibus inter Svecos & Danos haud
 defuit, cum ipsius Regis ductu exercitus
 administrabatur, quod praesentes in bel-
 lo eodem optimè sciunt. Et cogitatu di-
 gnum est, quod exercitus administratio-
 nem suscipere negaret, priusquam un-
 ctus atque coronatus esset; existimans
 incepta sua tunc feliciora ac magis au-
 spicata fore. CAROLUM XII invictis-
 simum Heroëm (quem Omnipotens
 Deus diu conservet) Solem nostrum no-
 vum ab arctoo orientem, Regem SVE-
 CIAE Clementissimum, Potentissimumq̃
 bello interesse, sturdus est qui non audi-
 vit. Cum enim felicissima Regis hujus
 in bello auspicia intueor, & gloriae penè
 ad miraculum incrementa, prosperum-
 que haëtenus & optatum eventum, qui
 nominis Augustissimi famam tot ado-
 reis, tot victoriis atque triumphis tan-
 quam

quam ancilibus cælo delapsis insignivit,
 prælagit animus, (ut pulcherrima mihi
 sese offerunt auguria) dissipaturum ali-
 quando omnes bellorum nebulas, & ma-
 lis afflictam SVECIAM, fretus ope au-
 xilioque Divini Numinis erecturum, ac
 serenum illum pristinæ pacis diem, Pa-
 triæ, afflictisque ejus subditis redonatu-
 rum. Nam fatale quid hic video, & su-
 pra humanæ sortis aleam exsurgunt he-
 roica Magnanimi Regis hujus facinora,
 & inoffensa penè militiæ felicitas, qui in
 sumis periculis, inter ardua bellorum, co-
 nitruum hostilium iras, densos globorum
 imbres, & acutas gladiatorum cuspides,
 inter flammæ & strages, ac ubi acerrimè di-
 micatur, impavidus: Quod ut in cæteris,
 ita prælio Narvensi satis compertum est,
 cum Rex ipse alâ sinistram tenebat adver-
 sus hostis dexteram, & 80000 Moschovita-
 rum profligavit cum suis 8000. Rigæ, quan-
 do copias suas Dunam traduceret, inter
 primos litus ascendentes fuisse ferunt; ubi
 tamè hostis in ordinatâ paratâq; acie stabat.
 In Summa, nullas non obtinuit victorias

in toto hoc bello, ipse præsens. Nam hostem laceſſere, cominus pugnare, ſtanti inſtare, modo militem, modo ducem agere, voce & exemplo in militum animis fortitudinem accendere. Hæc eſtendunt virtuti callem ſemper & ubiq; patère ad gloriam. O verè Regem atq; Athlantem! & quæ vidit æras parem? Hoc meum intimum eſt votum, imò bonorum omnium: neque quiſquam eſt tam inhumanus rerum humanarum arbiter, qui Magni hujus Regis armis, in tam juſtâ, tamque piâ cauſâ non aſſentiat, acclamet, applaudat. Faxit inquam Supremus ille Inſpector Deus, qui vel ſolo nuntio, bellorum nimboſ tempeſtatesque ſerenat, ut poſt hæc nubila, blandior Phœbus, afflicto huic populo tandem aſfulgeat, & poſt tanta rerum discrimina tot pugnata bella, capiti Regis noſtri Clementiſſimi laurum pacis imponat, ac triumphantem aliquando redonet patriæ.

*Hoc precor hunc illum nobis auro nitentem
Luciferum roſeis candida portet equis.*

Tu

10 35 0
Tu summe D. O. M. qui bella, qui
pacem moderaris: qui Regibus atq; uni-
versis orbis populis leges & jura ponis:
qui victoriam, trophæa decernis: qui
clades pericula & injurias avertis: Qui
Rector omnium, habenas in hoc mundi
curru temperas: exsurge & judica cau-
sam tuam. O Dies veniat, quo hæc o-
mnia evenisse videamus, quod ex
intimo pectore rogo, & omnes
boni mecum.

SOLI DEO GLORIA.



Eru-

Eruditione & morum vènuſtate

Politiffimo Viro - Juveni

Dn. ERICO WESTADIO,

Amico ſincerè dilecto.

Cum ſunt abſentes Reges malè ſæpe
reguntur

Cum ſunt præſentes proſpera
bella fluunt;

Illi namque regunt opus & ſunt quiſ-
que parati

Juſſa ſui Regis perficere atque
ſequi.

Sicut apes Regem ſtrepitu fremituque
frequenti

Circumſtant & ubi eſt haud pro-
cul inde volant,

Aſt ubi ſeſe effert, alacres fidæque le-
quuntur

Et bello objectant corpora ſæpè
ſua;

Sic ubi Rex aberit timidus ſtat miles
in armis,

Sin

Sin aderit belli fervet & ardet
amor.

Scilicet expectat laudem Galeata ju-
ventus

Et pro Rege mori præmia digna
putat.

Quid valet in bello Regum Præsentia
monstrat,

Candide WESTADI, docta Thalia
tua :

Quid valet ingenii prompti solertia
monstrat,

Optime WESTADI, pagina docta
tua.

Te fortuna ferat post hæc, ut ad hæc,
pede prono

Dum vitæ cursum ducere fata
finunt.

Sic ex animo gratulatur

JOH: RISELIUS.

Jun. Smol.

Viro

Viro-Juveni

*Morum Elegansia, Virtutum atq; literarum
laude Politissimo*

DN. ERICO WESTADIO,
Fautori atq; Amico integerrimo,
Doctæ disputationis Auctori & Defen-
sori Doctissimo.

Non longis tua docta canam conamina
metris,

Ipsa sibi nomen, quod meruere, parant.

Ut Tete ingenio finxit Natura capaci

Sic jubet hoc Musis usque litare sacris;

Hinc iuvat inniçto colles transire cothurno

Castalii fontis quos terit unda: placet

Littera perpetuis vernantia visere acanthis

Quæis seris intextis scis redimire comam,

Quo pede cepisti Tu tendere ad ardue perge

Palmari dabitur sicque corona Tibi.

Dab: e Saltwijs

prid: Nonas Maji

1705.

Hæc gratula-
bundus

HENRICUS JOH. SCHARFF.

Eruditione ac morum Elegancia conspicuo

DN. ERICO WESTADIO,

Amico & populari honor. ac pl. dilecto.

Quam primum mihi innotuit, Pereximie
DN. WESTADI, Te specimen ingenii,
prorsus egregium atque eruditum adornasse,
quod brevi publicam visurum esset lucem, non
potui per amicitia Jura mihi temperare, quin
latitiam exinde, atq; ex prosperis quibuscunq;
rerum tuarum successibus, mente conceptam,
publico hocce testarer documento; Tibiq; exi-
mios ingenii dotes insignesque plane in studiis,
ac praeclaris virtutibus progressus ex animo
gratularer. Optimam sane Es prestantissi-
mam elegisti videndi rationem, ad quam se
reliqua infra lunam conferantur, non nisi
fluxa atque caduca censenda veniunt. Huic
itaq; sicut à teneris strenuè atq; sollicite litasti;
ita haud quaquam dubites, quin famam no-
menque tuum ab omni oblivione tutum pra-
stet atq; immune. Macèe porro, ut feliciter
cepisti, hac animi constantia, morumq; recti-
tudine; Sic propediem latus accipies auspiciissi-
mos laborum virtutūq; tuarum fructus premia-
que longè uberrima. Quae ut tibi ex alto eveni-
ant, supremū Numen calido pectore veneror! Vale.

SALOMON ALANUS, S. F.

Ad
Præstantissimum Virum,
DN. ERICUM WESTADIUM,
De

PRÆSENTIA REGUM in Bello
Erudite disputantem.

In Bello pingis presentes dexteritate
REGES, iudicii splendida signa Tui
liberius pandis Tua Dissertatio culta.
Artes sectaris Sedulus ingenuus.
Laudibus & meritis nequeam te condeco-
rare,
Maeste igitur studiis cum ratione Tuis
Quò valeas metam Solers contingere cœ-
ptam,
Singula quid recinam, pagina docta docet.
Quod superest, altum Numen prece solis
citabo,
Ut cœptis studiis adsit & illa juvet.
Vive diu felix seros vigeasque per annos,
Et referas doctis premia digna Viris.

Sic Amico per dilecto gratuletur
ex animo

ABRAHAM Dahlman/

Bor: Fin: